

VIA FERREA

Formas pascuarias

Faint mirrored text bleed-through from the reverse side of the page, including phrases like "El de San Juan", "Ego nobis dominus", "In nomine", "Gloria", "Agnus Dei", and "Memento".

Faint mirrored text bleed-through from the reverse side of the page, including phrases like "Gloria", "Agnus Dei", "Memento", "In nomine", and "Gloria".

Instructio Clementina

PRO ORATIONE XL. HORARUM.

Ex italico sermone in latinum versa

(Tom. I. p. 717.)

Instructio et Ordo servandus in Oratione Quadraginta Horarum cum expositione SS. Sacramenti pro Ecclesiae necessitate, juxta piam SS. Pontificorum mentem, de mandato Sanctitatis Suae *Clementis XII.* confirmata atque iterum promulgata.

Prosper Marefoschi, tituli S. Silvestri in capite Cardinalis, Sanctitatis Suae Vicarius Generalis, etc.

§. I. Quum ab ipso tempore, quo introducta est SS. Sacramenti expositio pro 40 Horarum Oratione continua, datae fuerint plures ordinationes hujusmodi sacrae functionis decorem spectantes, quumque easdem apprime observare necnon abusus in quibusdam Ecclesiis irreptos tolli curandum sit, de speciali mandato Sanctitatis Suae, vivae vocis oraculo nobis dato, in omnibus almae Urbis Ecclesiis, tam patriarchalibus quam collegiatis et parochialibus, sicuti et in quavis alia Ecclesia, sive saecularium sive regularium, quolibet modo privilegiata ac speciali mentione digna, in qua praedicta 40 Horarum Oratio obtinebit, sub infrascriptis poenis, quaecumque in hac novissima Instructioe praescribuntur, inviolabiliter observare ordinamus et praecipimus.

§. II. Supra januam Ecclesiae, in qua fit expositio, et a capite vicinae

viae ponatur signum SS. Sacramenti sertis festivis ornatum, ut transeuntibus innotescat inibi fieri SS. Sacramenti expositionem.

§. III. SS. Sacramentum exponendum erit in altari majori (exceptis tamen basilicis patriarchalibus, in quibus in alio altari exponi consuevit) cooperienturque imagines vel statuae, quae ibidem reperiuntur, item tribunae, parietes altariaeque vicina, deficientibus ornamentis fixis, pannis cooperiantur; verum cavetur ne inter apparatus sint historiae resve profanae.

§. IV. In altari non ponantur Sanctorum reliquiae aut statuae (non exclusis tamen angelorum statuis quae candelaborum vicem gerunt); multo minus ponantur animarum purgatorii figurae, cujusvis sint materiae; quod etiam prohibetur in omnibus expositionibus particularibus, imo in iis quae in illarum animarum suffragium quandoque instituuntur.

§. V. Super altare praedictum et in eminenti situ sit tabernaculum sive thronum cum baldachino proportionato albi coloris; supra cujus pedem ponatur corporale ad reponendum ostensorium aut custodiam radiis circumfulgentem; contra vero quavis absit ornatus, ex quo SS. Sacramenti aspectus impediatur.

§. VI. Ad altare continuo ardeant viginti saltem lumina, sex nempe candelae unius librae, quarum tres ab unoquoque latere crucis, et octo candelae in superiori parte, cum aliis quatuor a partibus ostensorii, in ejus parte anteriori nullum omnino ponatur lumen; adsint tamen duo candelabra cum cereis, quorum unusquisque trium saltem sit librarum. Idem quoque, clausa Ecclesia, per noctem retineatur luminum numerus, quorum decem saltem sint ex cera: tempore autem vespertino tot in Ecclesia ponantur lumina, quot ad vitandam confusionem sufficiant accensaque remaneant usquedum januae claudantur. Fenestrae altari expositionis vicinae, etiam per diem claudi aut cooperiri poterunt, ad fovendam fidelium in oratione recollectionem.

§. VII. Nemo saecularis, etsi cujusvis societatis, sacco vestitus ad altare circumire audeat ad lumina curanda aut ad aliud quid agendum; sed adesse debet sacerdos aut saltem clericus cum superpelliceo, quod super propriam vestem, regulares etiam cujuslibet religionis induent; notandum praeterea, ex decreto S. Rit. C. Urbis 19. Augusti 1651, a quibuscumque personis cujusvis conditionis et ordinis transeuntibus ante SS. Sacramentum expositum, in accessu et recessu, faciendam esse flexis duobus genibus reverentiam. Quod attinet ad sacerdotem Missam privatam celebrantem, sciendum dari ejusdem S. Congr. decretum Urbis 7. Septembris 1638, quo praescribitur, ut transiens ante altare, in quo expositum manet SS. Sacramentum, adorationem faciat flexis genibus et capite detecto, dein surgat caput tegendo.

§. VIII. Durante expositione, in Ecclesiae porta sive ad intra sive ad extra, prout commodius erit, appendatur tapetum in veli forma, cum ali-

quo tamen spatio a lateribus, pro populi commoditate, illudque ita disponatur ut a via nunquam possit aspici SS. Sacramentum.

§. IX. Per vices unus aut alter sacerdos vel saltem aliqui in alio sacro ordine constituti, superpelliceo vestiti, si fieri potest (etsi regulares sint), continuo adsint genuflexi, non supra genuflexoria, sed ad aliquod scamnum, tapeto pannove rubro aut alterius coloris et decentis qualitatis coopertum, prope infimum altaris gradum, orantes die ac nocte. Ubi autem existit aliqua confraternitas, suis vicibus pariter assistant saltem duo confratres ad scamnum panno viridi alteriusve decentis coloris coopertum, sed extra presbyterium atque a dictis sacerdotibus distantes et cum omni devotione in adstantium aedificationem orent, sed submissa voce, ne caeteris distractiones afferrant.

§. X. In sacristia sit horologium saltem pulveritium ad singulorum adorationis tempus dignoscendum, de quo omni diei ac noctis hora dabitur signum cum majori campana.

§. XI. Pridie expositionis vespere, dato signo pro *Ave Maria*, ad commonendum populum, solemniter modo campanae pulsentur; itemque fiat mane sub aurora et durante expositione, post alia omnia signa salutationis *Ave Maria*, pariterque triplici vice de more pulsentur ante Missas solennes.

§. XII. In altari ubi est expositum SS. Sacramentum, nulla alia celebretur Missa praeter solemnem in expositione et repositione. Hisce diebus praeter conventualem (in Ecclesiis in quibus datur obligatio eam cantandi), celebretur post Nonam Missa SS. Sacramenti votiva *pro re gravi*, exceptis tamen omnibus Dominicis 1. aut 2. classis et omnibus diebus, in quibus,

juxta calendarium tam universale quam particulare illius Ecclesiae, in qua fit expositio, pariter fit officium 1. aut 2. classis, item excepta feria 4. Cinerum, feria 2., 3. et 4. Majoris Hebdomadae, omnibus diebus per octavas Paschae et Pentecostes, vigiliis festorum Natalis Domini et Pentecostes, atque per octavam Epiphaniae, in hisce Dominicis aliisque diebus et feriis exceptis, canetur Missa conventualis cum adjuncta oratione SS. Sacramenti *sub una conclusione*: quae omnia in omnibus Ecclesiis tum saecularium tum regularium servabuntur.

§. XIII. Die autem medio, praeter Missam conventualem, post Nonam cantari debet votiva Missa *pro pace* vel alia a Sua Sanctitate praescripta, prout in elencho 40 Horarum expressum fuerit, sed semper sub eadem exceptione quoad dies supra relatos et sub eadem regula quoad orationem.

§. XIV. Verum in Ecclesiis non collegiatis et ubi non datur obligatio Missam conventualem cantandi in praefato die medio solemniter canenda est praedicta Missa votiva, cum oratione et sub regula supra exposita pro Missa SS. Sacramenti. Ea tamen Missa canenda est in altari ab eo, in quo fit expositio, et ab eo, in quo adsit tabernaculum cum incluso Sacramento, diverso. In ecclesiis autem, quae obligationem habent Missam conventualem cantandi, ea cantabitur in alio altari uti dictum est.

XV. Expresse jubetur ut in diebus expositionis, medio, et repositionis, cum ministris paratis Missae canantur et non aliter, etiam in Ecclesiis regularium, non obstante quocumque eorum usu aut praetensa consuetudine in contrarium.

§. XVI. In Missis autem privatis, quae durante expositione celebrantur, non pulsetur campanula ad elevatio-

nem, sed tantum in egressu detur tenue signum cum solita campanula.

§. XVII. Non celebrentur Missae *de Requiem* tempore, quo peragitur Oratio 40 Horarum, et Missae SS. Sacramenti, quae diebus rubrica permisis celebrabuntur, pariter votivae sint sine *Gloria* et *Credo*. In aliis vero Missis currentis diei, post orationes a rubrica praescriptas addatur oratio SS. Sacramenti, ita mandante Sua Sanctitate.

§. XVIII. Celebrans, SS. Sacramentum in processione delaturus, pluviali albo indutus erit, quando non celebraverit cum paramentis alterius coloris, nam in hoc casu color Missae retineretur. Velum autem humerale erit albi coloris in quocumque casu et sacrorum ministrorum paramenta ejusdem coloris ac celebrantis, ut supra. Pariter pallium altaris, in quo fit expositio, semper erit albi coloris, quamvis diversi coloris sint paramenta Missae solennis, quae in hoc die celebratur. Item baldachinum inserviens processioni albi coloris esse debet.

§. XIX. Finita Missa solenni pro expositione celebrans et ministri, factis Sacramento debitis reverentiis, ad latus epistolae recedunt ibique celebrans manipulum (pariterque ministri) deponit, planetam exiit pluvialeque assumet; incensum postea in duobus thuribus ponet, illud non benedicendo et cum ministris, in medio genuflexis, ter Sanctissimum adolebit. Postquam processio fuerit ordinata (quae ordinari incipiet, facta elevatione, aut prius, prout magis aut minus erit numerosa), diaconus, congruo tempore, facta super scabellum genuflexione, Sacramentum assumet illudque stans genuflexo dabit sacerdoti statimque, diacono genuflectente, celebrans, manibus ab extremitate veli humerali coopertis, illud assumet et

surget. Incepto dein a cantoribus hymno *Pange lingua*, etc., sub baldachino procedit, submissa voce psalmos et hymnos recitans cum ministris pluvialis fimbrias sustinentibus.

§. XX. Processio ex toto Ecclesiae clero componetur, crucifer in hac functione non subdiaconali habitu sed superpelliceo erit indutus. Intererunt, superpelliceo induti et cum cereis ardentibus in manu, octo sacerdotes qui hinc inde a lateribus ante baldachinum ibunt, post ipsos subsequenter duo acolyti cum thuribulis, continuo per viam Sanctissimum incensantes et durante processione campanae solemniter pulsabuntur.

§. XXI. Intra Ecclesiam fiet processio; quod si Ecclesiae angustia exigat, per plateam exire poterunt, sed non longius et priusquam ab Ecclesia egrediatur, curandum erit ut plateae via nitide fuerit mundata. Ubi vero occurrit officina, tempore processionis erit claudenda.

§. XXII. Quod si existant saecularium confraternitates, sive sacco sint induti sive non, tam eorum guardiani et officiales quam confratres omnes simul ii capitulariter progredientur ante ibi praesentem saecularem et regularem clerum, cui semper digniorem locum cedere debent. Imo prohibetur districte ne earum guardiani aliique officiales, sub quovis praetextu consuetudinis aliove quocumque audeant post baldachinum incedere, sub poena, etc. Revd. Primicerius (confraternitatis) vero incedat post baldachinum sine sacco, habitu praelatio indutus et rochetto, si ei competit. Possunt tamen dicti officiales manicos baldachini portare, officium sane magni honoris, ut ait *Caeremoniale Episcoporum* lib. II. cap. 33: *Deputentur nobiles viri, barones, etc.*

§. XXIII. Quinimo dicto clero tam

saeculari quam regulari praecipimus ut in propriis Ecclesiis usum contrarium non permittant, sub poenis (sequuntur poenae Romae tantum impliandae).

§. XXIV. Cum processio in Ecclesiam regressa fuerit, jamque ad infimum Altaris majoris gradum celebrans pervenerit, diaconus genuflexus Sanctissimum recipiet ab eodem celebrante (qui statim ipse genuflectet, velum humerale deponens), illudque infra throno reponet ac ad suum locum redibit, factis debitis reverentiis: statim vero cantores (cum mora) cantabunt *Tantum ergo*, etc. et, dum intonant *Genitori Genitoque* celebrans, cum ministris erectus, ibidem in medio et absque benedictione incensum ponet in thuribulo et genuflexus ter Sacramentum adolebit. Hymno autem finito omissoque *Panem de coelo*, etc. carentur litaniae positae in libro pro 40 Horarum Oratione edito. (Quo libro jure et absque ulla immutatione utendum erit in alia quavis Sanctissimi expositione particulari.) Precibus jam dictis, celebrans (cui librum sustinebunt ministri) erectus et absque nova genuflexione, manibus junctis, cantabit *Dominus vobiscum*, cum Orationibus subsequentibus; quibus finitis, omnes genuflexi brevem instituent orationem, post quam recedunt teguntque caput, dum e conspectu SS. Sacramenti recesserint; sicque incipiunt Preces XL. Horarum.

§. XXV. Juxta S. R. C. celebrans uti non debet cubiculari sede, sed scamno (brachia non habente) cujus ornatur pars posterior rubri alteriusve decentis coloris panno et in quo simul cum ministris sedeat. Multo minus sedibus cubiculariis uti debent in Ecclesiis guardiani, deputati et officiales confraternitatum, societatum aut congregationum laicalium; sed sedebunt in scamno cum dorso, brachia

tamen a lateribus non habente et absque ullo usu cussinorum, sicuti et absque gradino et genuflexorio coram ipsis; illud autem scamnum omnino extra presbyterium collocabitur, quando praedicti Missis aut vesperis solemnibus assistent aut quando in presbyterio a clero celebrabitur aliqua sacra caeremonia aut quando concio erit in Ecclesia, juxta pluries declarata a S. C. R. et in particulari per Decretum generale diei 13 Martii 1688. Revd. Primicerius vero in habitu praelatio intra praesbyterium in cornu evangelii sedebit super sede tepeto cooperta, ut supra n. XXII. dictum est.

§. XXVI. Attamen, si ob Ecclesiae formam conveniens locus non daretur extra presbyterium, tunc concedi poterit ut guardianorum scamnum collocari possit in unius lateris facie, extra terminum presbyterii.

§. XXVII. Viris et mulieribus cujuslibet status aut conditionis (exceptis regis personis, ubi adsunt) districte prohibetur ne in presbyterio seu circuitu altaris, in quo expositum est Venerabile, ingrediantur et orent, quum praefatus locus occupari solum debeat ab ecclesiasticis, divino ministerio aut adorationis officio addictis. Idque observandum est non solum in Ecclesiis, in quibus ordinaria recurrit expositio, sed etiam in aliis omnibus, in quibus ex Indulto Apostolico aut ex alia legitima facultate expositio fieri, licet per breve tempus, contingat. Rem ita fieri providebunt superiores aut sacellani, etiam adhibita scamnorum congerie, si opus fuerit. Mandamus praeterea ac praecipimus rectoribus et superioribus cujusvis Ecclesiae tam saecularibus quam regularibus, ut durante expositione non praesumant quodlibet sedium genus cuiusvis personae cujusvis sexus, gradus et conditionis et reverentiae mandare sub poena decem

scutorum a rectore saeculari in pios usus applicandorum reservata tertia parte pro accusatore; pro Regularibus vero sub poena privationis vocis activae et passivae, cum aliis ad nostrum arbitrium.

§. XXVIII. Tempore expositionis, licet particularis, non apponantur in Ecclesiis lances ad eleemosynas deponendas neque stabunt ad eas recipiendas religiosi aliive ecclesiastici neque laici, sicuti neque clerici, confratres, mandatarii altaeve personae quaestuant per Ecclesiam circuibunt. Multo minus id agere poterunt pauperes, qui ab Ecclesiae januis decem cannis distantes stabunt sub poenis. Idcirco cura pariter erit superioribus et sacellanis aliisque assistentibus custodibus, orantium scilicet fidelium distractionis vitandae gratia, invigilare ne Ecclesiam ingrediantur pauperes; cum rite possint benefici extra Ecclesiam eleemosynas dare, prout ordinavit S. Sanctitas Clemens XI. in speciali edicto in quo omnibus fidelibus prohibet ne in Ecclesiis eleemosynam distribuunt.

§. XXIX. Notandum orationi finem in una Ecclesia dari non licere, nisi postquam eadem in altera jam incoeperit, idque servabitur ab unaquaque Ecclesia, etsi basilica aut collegiata aut quolibet modo privilegiata.

§. XXX. Finita repositionis Missa, celebrans assumet pluviale (observando ritum respective supra descriptum pro Missa expositionis) et cum ministris coram SS. Sacramento in medio super infimum altaris gradum genuflectet. Cantores statim intonabunt litanias, quae continuabuntur usque ad *Domine, exaudi orationem meam*, inclusive. Deinde erectus celebrans cum ministris in medio, ponet incensum absque benedictione et genuflexus ter SS.

Sacramentum adolebit atque assumet velum humerale.

Incensatione peracta diaconus, cum debitis reverentiis, Sacramentum e throno levabit statimque pedibus stans genuflexo celebranti illud consignabit, ipso genuflectente diacono statim ac Sacramentum consignaverit. Caeterum observanda veniunt respective, quae supra, ubi de expositione agebatur, de caeremoniis ac ritu processions, dicta fuere, etc.

§. XXXI. Post processionem celebrante ad infimum altaris gradum regresso, diaconus genuflexus ab ipso pedibus stante recipiet Sanctissimum, coram quo celebrans immediate genuflectet velumque humerale deponet.

Diaconus autem illud in medio altaris supra corporale reponet et ad suum locum redibit. Celebrans vero, sub *Genitori Genitoque* cum ministris erectus absque benedictione incensum ponet, ut supra, et Sacramentum incensabit. Cantores dicent versiculum *Panem de coelo* etc. (cui adjiciendum *Alleluja* tempore paschali ac per totam octavam *Corporis Christi* in qualibet expositione) tum celebrans erectus, nec iterum genuflectens, sustinentibus librum ministris (omisso *Dominus vobiscum*, ex decreto S. R. C.), orationes, manibus junctis, cantabit; quibus finitis, genuflexus humerale velum assumet atque solus ad altare ascendens, debitis factis reverentiis, in manibus uti dictum jam fuit cum veli humeralis extremitatibus, ostensorium capiet, quocum populo benedictionem impertietur, atque Sacramento supra corporale reposito, descendet suoque loco genuflexus manebit. Statim diaconus aut sacerdos cum stola, debitis factis reverentiis, Sacramentum includet in tabernaculo, quod ad hunc finem in altari expositionis retinendum erit, hostia autem consecrata in Missa con-

sumenda est sive in hac sive in sequenti die. His peractis proficiscuntur sicque finem obtinebit Oratio 40 Horarum.

§. XXXII. Tempore, quo durabit eadem Oratio, districte interdicitur praedicare; verum si quis, ad fovendam fidelium erga SS. Sacramentum devotionem, brevem concionem post vespervas instituere velit, licentiam a Nobis aut a S. Excell. Nostro Vice-Gerente, etiam pro Ecclesiis regularium et quomodocumque privilegiatis petere debet et non modo in expositione XL horarum sed etiam in qualibet expositione: quae licentia dari debet in scriptis. Praedicaturus autem in ordine saltem diaconali erit atque superpelliceo indutus, quamvis regularis sit, sed sine stola, capito discooperto, prope altare, in quo SSimum. manet expositum, atque tandem in eo situ ut auditores non adducat ad actus irreverentiae convertendo terga ad Sacramentum.

§. XXXIII. Ecclesiae, in quibus instituetur 40 Horarum Oratio, vespere donec aderit populus ad orandum, apertae manere debent; quoniam tamen hac in re aliqua determinatio horae stabiliri nequit, tum ob Ecclesiarum situm tum ob temporum mutationem, ideo circa horam tertiam in aestivo et circa quintam in hiemali tempore claudi poterunt. Advertendum interea, quod etiam januis clausis continuari debet Oratio, prout dictum fuit n. X., quum dicta Oratio nunquam interrumpi potest ex decreto S. R. C.

§. XXXIV. Romae in qualibet Ecclesia, ad informationem fidelium, in apparenti loco affixus remanebit Elenchus 40 Horarum.

§. XXXV. Pariter in quavis Ecclesia, in qua expositionem institui statutum est, in sacristia continuo affixa erit praeses Instructio, ut nemo valeat

regularum ac praescriptorum in ea traditorum ignorantiam praetendere.

§. XXXVI. Extra ordinem in Elencho 40 Horarum assignatum nullus rector, curatus aut sacellanus exponere SS. Sacramentum audeat, sub quovis praetextu aut consuetudine, ob causam gravem, aut pro infirmis, absque speciali Breve Sanctitatis Suae, aut saltem absque licentia a Nobis vel a S. Excell. Vice-Gerente et a deputato 40 Horarum subscripta; qua obtenta exponetur Venerabile in altari aut in capella obducto velo et servato supradicto 20 luminum numero.

Observandum item adamussim tempus quo expositio durare potest, prout in dicta licentia assignatur, sub poenis.

§. XXXVII. Tandem districte praecipitur, ut omnia supra enunciati Ordinis inviolabiter observentur sub poenis.

Datum ex solita residentia Nostra, hac 1. die Septembris 1736.

P. Card., *Vicarius*.
Carlo Guazzucaglia, *Deputatus*.
Nicolò Antonio, *Canonicus*.
Guggio, *Secretarius*.

